

*Inimici hominis domestici ejus.* Ut enim porco jam mactando, fricatione blanditur herus, interim subito ictu prosternit eum lanio: sic dum hi propinqui bene sperare ægrum jubent, nihilque metuere de periculo; interim mors securi sua miserum sæpe obtruncat.

III. Denique, Christum derident. Primo, qui verba et doctrinam ejus, necnon servorum ejus sinistre interpretantur, et ad jocum trahunt. Hoc enim faciebant etiam Judæi in hodierno evangelio, dum verba illa Christi: *Non est mortua puella sed dormit* pro falsis habebant et ridebant, cum tamen verissimo et sanissimo sensu a Christo dicta essent, ab ipsis vero perperam intellecta. Dormiebat Christo puella, qui sciebat a se facile et mox excitandam: hoc illi nescierunt; ridendi igitur potius ipsi, uti postea intelligere potuerunt, cum puellam resuscitatam viderunt. Ad exemplum igitur istorum ridentur etiam a catholicis quandoque verbum et servi Dei; quia nimirum loquuntur ea, quæ non placent ipsis, ideoque nec creduntur vel non intelliguntur. Disserebat aliquando Dominus coram Phariseis de fructu eleemosynæ et periculo mammonæ iniquitatis, Luc. XVI. *Audiebant autem omnia hæc Pharisei, ait evangelista, qui erant avari et deridebant illum, quia nimirum vel avaritia impedit, fidem dicenti non habebant: (Carnalis enim homo, non percipit ea, quæ spiritus sunt, I. Cor. II. et Prov. XVIII. Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi dixeris, quæ versantur in corde ejus) vel dicentem non intelligebant, existimantes Christum damnare divitias, cum tantum damnarit avaritiam et cupiditatem. Ostendunt ergo derisores isti partim ulcera et vitia sua, partim ignorantiam, partim etiam nequitiam, qua pervertunt alios, ne fidem verbo Dei adhibent. Refert Sozom. I. V. hist. eccl. c. VII. Apollinarium Syrum conscripsisse aliquando doctissimum librum contra Julianum apostatam, et philosophos quibus addictus erat, in quo efficacissimis rationibus ab ipsa natura desumptis unum tantum Deum esse ostendit. Quem cum legisset Julianus, in risum et fabulam vertit, ex exinde ad quosdam catholicos episcopos hæc verba scripsit: *Legi, intellexi, improbavi.* Quid ad hæc responderunt: *Legisti, sed non intellexisti: nam si bene intellexisses, non improbasses.* Hoc idem sibi dictum intelligant derisores concionatorum.*

Nihilo meliores sunt, qui servos Dei rident, eorumque simplicitatem: quomodo ridebantur Job et Tobias a suis tamquam scrupulosi: *Qui enim vos spernit, me spernit, ait Dominus.*

Secundo, qui Christi et Ecclesiæ ejus præcepta eludere conantur, contemnunt et perperam in

sensum suum trahunt. Præcipit Christus, ut remittamus injurias ex cordibus nostris, idque facere se asserunt multi; faciunt tamen ore tantum; nam in corde retinent odium, nec cessant reipsa persequi inimicos suos. Præceptum Domini est, confessio omnium peccatorum lethalius: aliqui graviora tegunt, sicque confessionem et absolutionem irritam faciunt. Et istos non putamus deridere Christum, cui omnia scienti et corda hominum aspicienti occultare suos dolos volunt? Falleris, o miser, si existimas nescire Christum, quod anima tua mortua sit. Rursum præcipit Ecclesia, ut festivis diebus missa integra audiatur: a servilibus operibus abstinenceatur: diebus abstinentiæ et jejunii carnes non edantur: et quam frivole hæc observantur? Quam parvi æstimantur? Sane in his Ecclesiæ præceptis liberrime et ut Sapiens ait, Prov. X. *Quasi per risum peccant homines, quasi Ecclesiam Dei contemnant, et matrem suam irrideant.* Ad missam tarde venitur, et ante finem receditur, sine pudore et timore, ac sine necessitate; et quam frivolas ob causas tota sæpe negligitur? Videtur Deo dicere: *Jam non est propheta, et nos non cognoscet amplius.*

In festorum observantia, quanta, quæso, levitas et perversitas? Quid nostræ feriæ, solemnitates, dedicationes, post peractam missam, nisi bacchanalia? Ibi choreæ, compotationes, aleæ, mercaturæ, imo et serviles operationes, præsertim sutorum et sartorum: finis tandem, ob quem feriæ institutæ sunt, a paucissimis observatur. Proh! Quam longe abscedimus a Dei instituto, qui hos dies sanctos esse voluit, sanctisque impendi operibus! Quam longe etiam recedimus ab avita antiquorum Christianorum religione! Audiamus, quæso, exemplum Olai Norwegiæ, regis, quam sanctos esse voluerit dies feriales, et quam severe neglectos in seipso vindicavit. Nam forte festo die cortice bacillum nudabat. Monitus de sacro dietali sectione non violando, statuit a male otiosa manu pœnas continuo expetere: itaque assulas in ipsa manu incendi voluit, et peccantem ignibus expiari, ex vita aquilonarium.

In jejuniis nostris quam multi secum ipsi dispensant sine causa? Imo multi fingunt, carnem non esse, quæ caro est, veluti pecorum intestina, quæ sine metu devorantur. In sabbatis item carnibus vescuntur, quasi in eo minus aut nullum peccatum sit. Lepidi sane homines, qui sibi tam benevoli judices sunt.

Et quomodo hæc agentes observamus matrem Ecclesiam? Imo quomodo ejus præcepta non flagellamus et cachinnamur?

Qui derident et contemnunt S. Scripturæ aut etiam concionatorum et servorum Dei sibi intentatas minas, quasi figmenta et fabulas. Fece- runt id olim Constantinopolitani quibus Daniel Stylita prædicebat ex revelatione imminentem Dei iram et virgam, monens proinde ut supplicationes hebdomadatim instituerent, sic enim Dei iram futuram mitiorem: sed contempliti habita est prædictio et admonitio. Tempore itaque evoluta, quod Daniel prædixerat repente in maxima et regia civitate incipit incendium, quod usque adeo exarsit, adeoque invaluit, ut fere universam pervaserit civitatem. Vix tandem in tanto malo eis venit in mentem S. Danielis prædictio, Metaphr. apud Surium, in vita Dan. Styl. 11. decemb. Sic olim cum Loth annuntiaret generis suis futurum Sodomæ incendium, visus est eis quasi ludens loqui, Gen. XIX. sed exitus brevi rei veritatem ostendit. Idem faciebant homines ante diluvium: nam, ut Berosus Chal- dæus, l. I. ait: « Tum multi prædicabant et vaticinabantur, et lapidibus excidebant de ea, quæ ventura erat, orbis perditione; sed enim illi assueti corridebant omnia, celestium illos ira atque ultione perurgente, pro impietate et sceleribus. » Itaque: *Nolite errare, ait apostolus ad Gal. VI. Deus non irridetur: quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Quod ergo seminamus derisionem et contemptum Christi, Ecclesiæ et servorum ejus: derisionem etiam et contemptum absque dubio metemus; juxta id Prov. I. *Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenierit.*

Et quid tandem his omnibus aliquando dicit Dominus? Id nimirum quod tibicinibus hodiernis: *Recedite, ejicietque eos e conspectu suo et justorum congregatione: in mortis articulo imprimis, cum inviti et anxii hinc abripiantur; deinde, in judicio. Sane efficax fuit vel unica vox recedite, ad ejiciendam turbam: quanto efficacior et horribilior erit illa parturiens: *Ita maledicti in ignem æternum.**

## CONCIO V.

## BONA ÆGRITUDINIS

- I. Est purgatio medica. — II. Est suave purgatorium. — III. Est frænnum peccatorum. — IV. Est stimulus ad meliorem vitam. — V. Est collyrium intellectus. — VI. Est suave carnis ergastulum. — VII. Est nuntius mortis.

## THEMA.

*Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis. Matth. IX.*

Tobiæ VI. legimus, Tobia juniore ad ripam

fluminis Tigris accedente, piscem immanem exisse ad devorandum eum. Quem expavescens Tobias clamavit voce magna ad Raphaelem comitem itineris: *Domine invadit me.* Sed jussit angelus ut apprehenderet branchiam ejus et traheret eum ad se; fore enim sibi valde salutarem. Quo facto, non modo non nocuit piscis Tobiae, sed vehementer etiam profuit, præbens ei alimentum et medicinam. Non multum aberavero, si corporis infirmitatem pisci huic comparavero. Ea enim prima fronte sæva quidem apparet et hostilis, quasi hominem devoratura, unde ab ædibus excluditur et cum fieri potest, medicorum opera ejicitur. Sed revera hostilis non est, imo admodum salutaris, dummodo fortiter et prudenter eam amplectaris et patienter feras. Si noxia esset ægritudo corporis, non dixisset Dominus Paulo conquerenti de ejusmodi ægritudine: (ut volunt multi ss. pp.) *Sufficit tibi gratia mea, sed infirmitatem abstulisset.* Similiter et alios amicos suos singulares infirmitatibus non afflixisset. Afflixit autem plurimos: Timotheum, Gregorium Magnum, Theodorum, Bernardum, Franciscum, Claram, Catharinam Sennensem, etc. Potuisset curare Timotheum Paulus, sed noluit, suasit tantum medico vini uti: potuisset S. Petrus filiam Petronillam, non curavit: nimirum salutaris est, ideoque obviis ulnis amplectenda ægritudo corporis: quod modo ostendemus.

I. Ægritudo est salutaris potio seu purgatio; ejicit enim pravos motus, dispositiones et inclinationes ad vitia; quia sicut per intemperantiam cibi et potus augentur humores mali, qui velut intumescentes fluctus implent et denique mergunt navem corporis; ita enim per multos peccandi actus gignuntur in homine pessimæ inclinationes amorque inordinatus ad vitia; unde jactatus tandem velut nauta animus et terrenis desideriis gravatus perit. Ejiciuntur autem humores illi per ægritudinis pharmacum; compescuntur hi fluctus cum navis corporis ægritudinis molestiis aggravatur. Quando pallium aut vestis tua nimio usu pulveres imbibit et sordes contraxit bacillum arripis eamque diligenter excutis, non sane ut vestem destruas, sed ut nitidiorem reddas. Similiter et nos quia variis sæculi negotiis distrahimur et multoties in sordidis locis considemus, nec sine multis reatum pulveribus surgimus, arripit Deus bacillum ægritudinis et excutit e veste corporis nostri sordes, animam fœdantes. De hac virga loquitur Deus Zachariæ II. dicens: *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum.* Virga decor, ægritudo est; quia



ut illa decorem vesti sordidae, quam excutit: sic ista homini vitioso parit: funiculus flagellum est, quo in purgatorio punit Deus.

Aliquæ sunt ægriitudines quæ nisi irrationabilibus et vexationibus non pelluntur. Cujusmodi exemplum scribit Egnatius de Palæologo H. Constantinopolitano imperatore, qui per annum fere ægrotans nullis remediis poterat convalescere. Tandem muliereculæ cujusdam consilio instructa imperatrix, didicit virum convalescere non posse nisi acerbis et importunis molestiis crebro vexaretur, eam enim modo dilapsuros malos humores, unde ægriitudo manabat. Admisso muliereculæ consilio, imperatrix cepit virum acriter et variis modis divexare vix ulla in re obsequens ei. Quo facto et diu continuato, discussis humoribus, vir integre convaluit et in posterum semper valuit, annis, quibus vixit, viginti. Id refert etiam Mondognetus, in vita M. Aurelii, l. II. c. XXV. Ad eundem modum novit Deus vitiorum nostrorum originem; eaque nisi crebris vexationibus pelli non posse. Quid igitur? Vexat nos doloribus, minime crudelis, sed ad sanitatem velut medicus, quo humores noxii dilabantur. Unde sæpius fit, ut per ægriitudinem alii perdant desideria carnis, alii motus iracundiæ et vindictæ clim conceptæ, alii appetitum ad vinum et ebrietatem, etc. Quare si quis per totum annum vel amplius ægrotet, ne miretur, neve murmuret: signum enim est, humores malos nondum usquequaque dilapsos esse, sed diuturniore vexatione indigere: id quod optime novit Deus.

II. Est suave purgatorium, vel saltem aliqua ejus portio; punit enim suaviter membra, quæ peccaverunt, ne ibi acerbis puniantur: punit virga paterna filium, ne a carnifice gladio puniatur. Unde sicut pueris post castigationem datur exoseculanda virga: sic decet nos amplecti morbos et similes afflictiones. Porro jure merito patitur hic corpus, ne in purgatorio patiat sola anima, et tanto acerbis quidem. Nam si duo socii simul intrent tabernam et ambo bibant epulenturque ad satietatem et hilaria celebrent; si postmodum cum rationes faciendæ sunt, alter se subducens, socium deserat, num qui hic reliquus est, suam tantum partem, et non potius totum solvet debitum? Imo sane. Pari modo corpus et anima in homine optimi committentes sunt, simul intrant tabernam mundi, simul epulantur et bibunt, delectantur, ludunt, simul etiam debitum contrahunt, (cum enim superbit animus, superbe vestitur corpus; cum helluatur corpus, lætatur et jubilat animus, etc.) Verum mortis adveniente vespera, corpus se subducit

et in sepulcro absconditur: animus vero tamquam alter socius continuo arripitur et in carcerem purgatorii conjicitur, ut totum debitum solvat ad novissimum quadrantem. Quid igitur facit Deus? Dividit debitum mature, antequam dilabatur corpus, et disponit media ægriitudine, ut hic partem suam corpus luat, ne ibi anima totum luere debeat. Fugit certe in dies corpus et ad latibulum sepulcri properat, sed per ægriitudinis molestias arrestatur (ut sic dicam) a Deo, ut mitius contingat animæ purgatorium. Igitur si hic purgari nolis, ne dubita, in purgatorio graviorem muletam solves. At si æquo animo feras corporis ægriitudines magnam crede mihi, debitorum partem exsolves, testante ipsomet Deo, Nah. I. *Afflicti te et non affligam te ultra.* Exemplum nobis sit Lazarus ille mendicus, qui post mortem dicitur ab angelis portatus in sinum Abrahamæ, (mox utique) non in purgatorium, sed in requiem, quia scilicet vivens, cum ulceribus plenus esset et fame interim premeretur, patienter id pertulerat, adeoque debitum suum, si quod habuit, exsolvit.

III. Est frænum peccatorum. Currunt multi dum sani sunt quasi concitato equo ad infernum nec patiuntur se retineri ullis adhortationibus. Clamat Deus per prædicatores, uti per Isa. c. I. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrorum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere, etc.* Sed surdis canit: frangunt isti jugum, rumpunt vincula. Jam quomodo compesci poterit ferox equus? Si faber ferrarius clavum unguis infingat, penetrantem usque ad carnem; sic enim mox claudicabit. Videns igitur Deus multos ad infernum currere nec monitionibus retineri eos morbis, sicque a cursu peccatorum inhibet: *Omnes conversi sunt ad cursum suum*, ait Jerem. c. VIII. *sicut equus impetu vadens in prælium.* Quid igitur remediū? *Equos eorum subnervabis*, ait Dominus Josue, (Jos. XI.) regnum scilicet illorum, qui pugnabant contra Israel. Hoc pacto etiam vicit angelus Jacob, postquam cum eo diu usque mane, tota nocte luctatus esset, Gen. XXXII. Videns enim quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus: qui statim emarcuit, et claudicavit Jacob. Similiter Deus cum homine sæpe diu luctatur, multis eum beneficiis afficiendo, adhortationibus, minis revocando: repugnante ei semper peccatore per totam hujus vitæ noctem: quid igitur tandem facit? Tangit nervum femoris ejus, mittit illum in lectum, tangit ægriitudinem. Ibi jam subsistit equus: non lubet amplius epulari, luxuriari, ludere, cantare, rixari, loqui impudice, saltare, superbire, ine-

brari, etc. hæc enim omnia requirunt cordis dilatationem, quæ proinde per ægriitudinem velut severo adveniente iudice, conteseunt, claudicant, et amarecent. Femur illud concupiscentia est, cujus nervus est, sanitas et corporis vires. Quibus debilitatis, claudicat caro. Hoc medio retinuit Deus Pharaonem, equum alioquin jam paratum currere ad libidinem, quando fulerat Abrahamæ uxorem Saram, ut consuesceret cum illa. Ne enim hoc ageret Pharaon et scelus committeret, flagellavit eum Dominus plagis maximis, quas Philo et Pererius censent fuisse dolores acerbissimos, ita ut nec diu nec noctu quiescere aut respirare posset, Gen. XII. Sicque factum ut Pharaon nihil sceleris tentare posset, sed reddere cogere Abrahamæ uxorem salvam. Annon id ipsum experientia constat? Immittat aliquando Deus in civitatem vel domum aliquam pestem, morbos alios; et nemo ibi ebrii, nullæ meretrices, nulla convivia, choreæ, lusus nulli. Nimirum ægriitudo velut catus mures hos compescuit. Non tantum efficerent omnes hujus provincie doctores et prædicatores, contra hæc clamantes, quantum una pestis. Quid quod etiam natura remedium hoc demonstrat. Scribit enim Solinus leonem semper quartana laborare, et hoc ad mitigandum naturalem ejus ferociam. Poterit ergo infirmitas etiam in homine temperare ejus iracundiam, libidinem, gulam, etc. Sane testatur Seneca: *Infirmitati meæ gratias ago, quo cogit non posse, quæ non debeo velle.*

IV. Est stimulus ad meliorem vitam, et virtutes exercendas. Princeps aliquis, cum civitas ei rebellare incipit, obedientiam subtrahit, tributa non pendit, tum exercitu eam cingit, rivos avertit, victualia inferri prohibet, turres denique et mœnia tormentis quatit: sicque cives coacti tandem foras prodeunt, dedere se incipiunt et gratiam petunt, omnia se facturos spondent. Multi os ad confessionem et communionem, manus ad eleemosynam, aures ad verbum Dei aperire nolunt, Deoque tributum melioris vitæ pendere: ergo obsidet illos Deus agmine morborum, appetitum et somnum avertit, membra et vires quatit atque enervat: tandem igitur illi se dedere, os ad confessionem aperire, emendationem proponere et spondere, preces sacerdotum et piorum implorare, eleemosynas, peregrinationes vovere, quin et religionem sæpe aut certe vitam ætternam et cautiorem, dimittere odia, restituere aliena. Ibi discunt lascivi juvenes agnoscere reatus suos, mundum contemnere et exclamare cum Salomone: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas*, vident necessitatem honorum operum, sentiunt timo-

rem gehennæ, etc. Ibi discitur charitas in Deum, cognitio sui, abjectio amoris proprii, misericordia in proximum ex propria miseria, obedientia, patientia. O quam libenter tunc credunt aliorum miseriis! Quam libenter patiuntur seduci, a medicis secari, et uri! Quam discunt pati, quod sibi intolerandum prius reputabant! Annon audivimus hujus rei exempla in hodierno evangelio: quis archisynagogum, quis mulierem hanc ad Christum, et ad fidem adduxit nisi ægriitudo partim propria, partim aliena? Nonne Pharaon tunc primum vocavit ad se Moysen et Aaronem, cum affligebatur, obsecrans ut pro se Deum orarent, sibi mederentur? Ex. VIII. Nonne et Antiochus tunc primum veniam et preces petiit a Judæis, Maximianus imp. persecutor maximus a Christianis, cum extreme ægrotaret? Quare optime respondit Theodorius episcopus Coloniensis elector Sigismundo imperatori seisciantanti, qua ratione æternam felicitatem consequi posset, dicens: *Si vitam tuam institueris duxerisque ut facturum te promisisti, dum valetudo advertebat, te oppressit.* Refert Aeneas Sylvius, de rebus gestis Alphonsi, l. II. Nam si id ageres, quod æger proponis et optas, recta ad cælum pergeres.

V. Est collyrium intellectus, aperit enim oculos ægro ut videat, quæ ante videre noluit. Primo, Dei potentiam, suamque imbecillitatem. Hanc agnovit in ægriitudine sua Alexander Magnus de quo I. Macch. I. dicitur: *Decidit in lectum et cognovit quia moretetur*; quasi alludatur ad ejus thrasones, qui jactabant eum immortalem esse et Deum. Cognovit Clotarius Francorum rex, qui ut scribit Greg. Turon. IV. c. XXI. moriens cum graviter vexaretur a febre, dixit: *Vah quid putatis? Qualis est ille Rex celestis, qui sic tam magnos reges interficit?* apud Baron. ann. 565. Quam multi Alexandri, qui confisi in suo robore et juventute intemperanter vivunt, seortantur, inebriantur, helluantur et gloriantur quod uno tractu totas pene amphoras exhaurire possint, rixas cient et ad duella provocant, quasi ferrei et immortales essent! Qui tandem modica febre cum dejiciuntur aut a vili cacula graviter vulnerantur, ibi primum agnoscunt quales sint eorum vires: et quam fragilis juvenus. Atque hic est ille præceptor erudiens imperitos, de quo Psalm. IX. dicitur: *Constitu Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt*, Chald. *Incute eis terrorem*, q. d. immite eis gravem ægriitudinem vel similem calamitatem, quæ eos velut tyrannus exagitet, ut sciant se esse mortales.

Secundo, Dei bonitatem, quantum videlicet beneficium sit sanitas, et quam parum id agno-



verit Deoque gratias egerit. Si quid est, quod parvi aestimamus, sanitas est, quia cum ea ut plurimum nobis adsit, vilipenditur, sicut et omnia beneficia quotidiana et ordinaria : interim tamen nihil homini optatius est. Quid enim in mundo jucundum est absque sanitate? Ut igitur hoc beneficium agnoscamus quantum sit, et unde sit et quod gratuitum sit adeoque continua gratiarum actione dignum, quandoque nobis eripitur. Tunc dicunt ægri : O quam suave est bene valere! O quam præclarum donum sanitas! O quam deberent Deo gratias agere, qui fruuntur tanto bono! O si vel ad octiduum sanus essem! Sane Ezechias rex accepto nuntio mortis flevit valde et sanitate recuperata gratias egit Deo, ut Isa. XXXVIII. patet, quod tamen antea non legitur fecisse.

Tertio, Dei justitiam, quam merito scilicet a Deo puniantur in membris, quibus peccaverunt. Sic agnovit Antiochus ille I. Macch. VI. se propter scelera sua, quæ commisit in templum Jerosolymitanum, affligi doloribus acerbissimis. Multi juvenes totos annos in peccatis transigunt : monentur a parentibus et præceptoribus, ne Deum ad iracundiam provocent, utpote hanc vitam eorum tam dissolutam non diu toleraturum. Sed frustra ista dicuntur : non capiunt, non intelligunt. Quid igitur? Adhibet eis commentaria Deus, ardentem immittit febrim, ut sic recordentur eorum, quæ illis prædicta fuerunt; tunc denique dicunt : O quam sæpe mihi ista dicebantur quoties monitus fuit! Jam intelligo et damno meo experior verissima esse quæ dicebantur : *Justus igitur es Domine.*

VI. Suave carnis ergastulum est, eam spiritui subjiciens et ad officium reducens. Etenim caro quasi rebellis tibi subditus est, gladium semper in te stringit, perpetuo a te exigit quæ tandem te ad interitum trahent et extremam miseriam redigent. Ægritudo hæc omnia ei prohibet, imo ea tibi subjicit, et quæ prius te oppugnaverant, ad partes tuas transire facit, ut spiritum in bono adjuvet, tunc enim et ipsa jejulare et vigilare discit, tunc orat, eleemosynas elargitur, et ex necessitate patiendi virtutem facit : sicque fit ut spiritus carne adjunctus fortius pugnet et facilius vincat mundum et dæmonem, utpote duo contra duos; qui prius unus contra tres certabat. Hinc verum esse apparet, quod Paulus dixit II. Cor. XII. *Cum infirmor, tunc potens sum.* In quæ verba S. Bern. ait : *Quid mirum, si hoste debilitato fortior efficiaris?* Eam ob causam S. Petrus filiam Petronillam ægram, rogatu aliquorum curavit quidem, sed mox ad lectum redire jussit atque ægritudinem pristinam, quod hoc ei prodesset

ad conservandam virginitatem. Dicebat enim : *Sic expedit ei.*

VII. Est nuntius mortis, qualis Isaias propheta missus Ezechie regi, monens ut disponderet domui suæ, IV. Reg. XX. Magnum foret beneficium, si certo tempore præmoneremur de instante morte : quo nos dispondere possemus. Sic enim pro magno agnoscunt beneficio Budicense et Amorensis monasterium, de quibus alibi diximus, quod certa quædam campanula ultro sonitum edat, cum aliquis e monasterio mortem est obiturus. Atqui ejusmodi campanula et legatus est ægritudo, tametsi non infallibilis, semper tamen timendus et salutaris. Audi S. Greg. hom. XIII. in evang. « Pulsat Dominus, cum jam per ægritudinis molestias mortem vicinam esse designat. » Quid? Annon advertimus in ægrotis, pulsum arteriarum variari et accelerari : cor fortius palpitare quam alias? Quid hoc sibi vult, nisi quod instar campanæ tumultuariæ fortiter pulsata nos periculi nostri admonet et hostes vitæ nostros, corpus invasisse indicat? Ac siquidem morbus invalescat cogita Deum jam peremptorie te citare. Quid igitur tunc consilii? Quod Dominus consuluit, Matth. V. « Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo : ne forte tradat te adversarius judicis et iudex tradet te ministro, et in carcerem mittaris. » Adversarius iste secundum D. Athan. q. LXII. syndæresis et conscientia est, tua quæ te ad judicem trahit; cum graviter ægrotas, accusatura te coram Deo. Da operam igitur ut dum adhuc spiras, ejus postulatis consentias, cum penitus acquiescat, sicque ab ea libereris, ne incidas in Dei manus et in carcerem mittaris perpetuæ damnationis.

#### CONCIO VI.

##### SOLATIA AGRORUM.

I. Cogita non fieri tibi injuriam. — II. Ægritudinem tibi utilem et quandoque necessariam esse. — III. Parum esse quod sustines. — IV. Deum velle ut patiaris. — V. Deum aspiciere certamen tuum. — VI. Manere te vitam meliorem. — VII. Daturum tibi Deum patientiam.

##### THEMA.

*Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis.* Matth. IX.

Mirum quid de hæmorrhœissa scribit Eusebius, lib. VII. hist. cap. XIV. repertam videlicet in Cæsarea Philippi (inde enim oriundam fuisse) ante fores domus ejus æneam imaginem mulieris

prostratæ ad pedes Christi, præterea ad imaginis ejus pedem enasci solitam herbam inusitam, quæ ubi ad fimbriam vestitus Christi crevisset, vim medicandi habuerit variis morbis. Ego si huic herbæ nomen dare auderem, dicerem fuisse patientiam, qua mediante pertulit bona mulier gravissimam infirmitatem totis duodecim annis, quoad nimirum Christi fimbriam tetigit. Magnæ virtutis herbula profecto est patientia; sed interim satis inusitata, nec crescit in omnium hortulis. Quid igitur obesset, si hanc unusquisque nostrum plantaret in hortulo cordis sui? Dicit aliquis : *Non opus habent sani medico* seu malagmate; ægrotis et afflictis hac de re concionandum est : sed quid si ægrotemus aliquando et nos? Nonne multi in hortis suis plantant herbas medicas : vel emunt medicamenta a circumforaneis medicastri : vel parant sibi domi suæ varia electuaria etiam cum sani sunt, ut habeant quibus utantur aliquando infirmi? Quam multi secum gerunt semper pyxidem variis balsami odoribus instructam pro occurrentibus animi deliquis? Hujusmodi ergo pyxidem hodie vobis expediā, in qua reperietis plura ægrorum solatia et confortamenta.

I. Non fit tibi injuria, quia commeruisti hos et plures alios eosque acriores dolores, et bene tecum agitur, si tibi in hac vita rationes subducatur Deus. Scimus ex evangelio causam ægritudinis sæpe esse peccata. Ita enim paralyticum illum, priusquam Dominus sanet absolvit a peccatis, Matth. IX. instar boni videlicet medici, qui prius morbi causam tollit, morbum sublaturus. Sic et alteri paralytico, sanato ad piscinam, Jo. V. dixit : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Dic igitur, quisquis es cum Michæa, c. VII. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei donec causam meam judicet et faciat judicium, educet me in lucem; videbo injustitiam ejus.* In quæ verba S. Basilius, in regulis, interrog. LV. ait : « Morbi sæpe peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi ut vitam in melius commutemus. Quare qui ejusmodi sunt, hi omissis medicorum auxiliis, invecas sibi acerbitates ferre silentio debent, quandocumque se peccasse animadverterint, atque illum imitari qui dixit : *Iram Domini portabo quoniam peccavi ei : necnon vitæ suæ prava studia emendare et dignos poenitentiae fructus edere.* » Quod si nunc justitiam Dei non agnoscis, agnosces tamen ibi, cum educet te in lucem. Tantum igitur abest, uti inique nobiscum agatur, cum per morbos castigamur : ut etiam misericorditer et paterne. Spes enim est, velle Deum in hac vita animadvertere in peccata nos-

tra, ut parcat nobis in altera. Solatium hoc expressit David, quando dixit : *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt,* Ps. XXII. Sugerunt enim animo tuo Deum non puniturum bis in idipsum.

II. Ægritudo tibi utilis et quandoque necessaria est. Nam primo, te ad Deum ire compellit. Sane princeps hodierni evangelii ad Christum nunquam venisset, multo minus ad ejus pedes accidisset, nisi filiæ infirmitas compulisset. Similiter et mulier, si vel sana semper, vel a medicis adjuta fuisset, Christum tangere non quævisset, adeoque nec agnovisset. Ut ergo equus indomitus et effrænis, injecto fræno coercetur et reducitur ad dominum suum : ita refractarius homo per ægritudinem ad Deum. Patet in Manasse et Achab regibus.

Secundo, continet te in gratia et timore Dei. Videtur quidem avicula moleste ferre inclusionem suam dum perpetuo eluctari conatur et exitum disquirat : sed interim dum in cavea est, ab hero suo amatur et alitur, et ab aliis periculis libera est. Quis libere errantem ab aucupis visco et laqueo, vel accipitris ungue securam dicat? Eadem cum infirmo ratio. Captivus enim Dei est, ab eo fugere nequit, a plurimis peccandi periculis securus est.

Tertio, continet te in humilitate, qui alioquin æneum te aut immortalem reputares. Ob hanc immissa est ægritudo a Deo regi Ezechie, Isa. XXXVIII. ut ne insolesceret de ingenti victoria contra Sennacherib, sibi promissa et obtinenda, ut docet S. Hieronymus et alii eo loco. Agnovit hoc et Antigonus rex, qui ubi a gravi morbo convaluit : *Hic morbus, inquit, submonuit nos, ne animo efferamur, cum simus mortales,* Plut. in apophtheg. Anaxarchus item Alexandrum M. ridebat, quod cum Deus haberi vellet interim tamen æger potionem a medico sumeret : *Nostro deo, inquit, omnis spes in sorbitione patellæ posita est,* Ælian. I. VIII.

Quarto, purgat a vitis animam tuam; facit enim ut inquiras in tuam conscientiam, quod prius obiter tantum faciebas : et ita agnoscas defectus et peccata tua. Qui in tenebris vulneratur producitur in lucem, ut sanari a chirurgo possit. Multa peccasti in tenebris, multa in te agnoscis vitia occulta : ideo Deus illa in corpus tuum educit, ut ex corporis vulneribus agnoscas vulnera animæ. Testatur experientia nullam fere confessionem fieri tanta humilitate, sinceritate, promptitudine, etc. ac quæ fit ab infirmis. Sæpe igitur hoc nitrum, hæc fullonum herba, de quibus Jerem. II. quæque maculas vestium corporumque abolent, peccatoribus necessaria